



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Amicitia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

EX his itaque factum ut Ægyptii vespillonem sacrorumque tutelarem, ædituumq; libitinarium per Canis effigiem indicarent, observato firmo illo immobilique obtutu, quo animal id ipsa Deorum hominumque simulacra custodia sua credita contemplatur. Nam cum apud Ægyptios cadavera vitro condita, non adipe fuillo, ut nonnulli sunt interpretando decepti, in longum tempus asservarentur, erantq; & libitinarii quibus curæ erat ea custodire, eo spectare crediderim Canem apud Massas Romæ in pulcherrimi operis cippo humi jacentem, furrecto vero capite inscriptionem, quæ hujusmodi est, intuentem.

C. JULIO URBANO ET
JULIÆ OPTATÆ CON-
TUBERNALI, ET C. JU-
LIO URBANO PECU-
LIARI FILIO

POST.



SUIS.

GRATUS ANIMUS. CAP. VII.

NEque tamen ignoro esse aliquos, qui hujusmodi hieroglyphicum, quo scilicet Canis vel simu- lacrum aliquod, vel conditum cadaver intueretur, hominem beneficii accepti memorem significare contendant. Canis porro illos, qui de se benemeriti fuerint nunquam oblivioni tradit, cujus rei paulo post mirifica quædam exempla subjiciemus.

MEMORIA. CAP. VIII.

Macrob. in
Saturn. c.
20. sub fin.

UNde & memoriæ simulacrum Canis est, quæ scilicet circa præterita versatur: & in prudentia tripitio, id sibi vult caninum caput, cum Leoninum, intelligentiam, & præsentium considerationem: Lupi vero caput providentiam, ac perinde futura indicet, quod alibi diffusus explicavimus. Socrates quoque tunc per Canem jurat in Phædro, cum illam Lyfiæ orationem memoriæ tradidisse firmiter arbitratur.

FIDES. CAP. IX.

C. Mamilli
numus.

IN Phædrone vero per Canem jurat, cum puta fidem & obsequium præstandum iis, qui rerum habenas in civitatibus moderantur. Sane C. Mamilli numus est, qui limitibus metandis S.C. præfectus aliquandiu fuit, in quo Canis ei videtur allattare, eo quippe significato, ut fidem præstandam in primis admoneatur is, qui negotio ejusmodi præficitur.

AMICITIA. CAP. X.

Fidei inCa
ne exem-
pla

EJus vero fidei ratione habita hieroglyphicum pro amicitia plerumq; Canis ponitur, in qua quidem primum fides expetitur ex Ciceronis & omnium sententia: mox animus, si usu veniat, ad promerendum promptissimus. Mirifice vero spectatur in Canibus illa officiosa adeo dominorum adulatio. At hic mihi temperare nequeo quin amoris & fidei exempla quædam commemorem, quæ in ipsis Canibus elucescere plerumq; comperiuntur. Nam Leuctricas puellas tres à Spartanis juvenibus quibusdam constupratis, mox occisas & in puteum dejectas indicio Canis Scedaso patri peregre advenienti, & latratu & cursitatione ad puteum fuisse proditas, nunc dissimulabo alia quædam majoris forsan admirationis tepetiturus. Confollo enim intestinis bellis cive Romano, ajunt non potuisse quempiam caput ejus abscindere, usquequo Canem, qui dominum custodiebat, proque eo ferociter pugnabat, ab instantibus interemptum summotumque vidissent. Ambrosius refert, occiso Antiochiæ milite, Canem cadaveri comitem adstitisse, qui dum ejulatu mæsto rapti domini desiderium diu testaretur, ingentem hominum coronam ad fidelitatis spectaculum contraxerit, donec eo inspecto qui eadem patraverat, in eum insilierit: tamque diu prehensum continerit, donec re patefacta, percussor sit in supplicium raptus. Illud vero præcipue est admiratione dignum, quod ab Æliano traditum est: Colophonium quendam una cum servo & Cane, mercatum in Joniam concessisse ad urbem Theon, cumque servus, qui pecunias ferebat, naturæ satisfacturus aliquantulum à via descessisset, loculo humi deposito immemorem abiisse, Canem ad ejus custodiam perflitisse, donec illi re infecta, quod pecuniæ non aderant, rediissent, Canemq; in eodem loco apud marsupium offendissent.